



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](#)

PSALMUS LXVI.

TItulus : *In finem, in hymnis Psalmus Cantici ipsi David. Hebreus non legit nomen David ; ideo sunt, qui nolint Davidem hujus Psalmi authorem esse ; sed cum in graco, Latino habeatur, & sic legant Hilar. Hieron. Aug. aliqui ; credibile est, aut ex codice Hebraico vocem illam excidisse, vel à Septuaginta additum, ne quis suspicaretur, Psalmum non esse à Davide compositum, quia non legatur nomen ejus in titulo.*

Argumentum *Psalmi est expressio desiderii vehementis, quo David tenebatur videndi adventum Messiae, & redemptionem generis humani, juxta illud Luc. 10. : Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.*

¶. 1. *Deus misereatur nostri, & benedic nobis : illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.*

Vox optantis, & desiderantis est. Utinam Deus misereatur nostri, mittendo ad nos, quem missurus est ! Et ex hoc affectu misericordia paternæ benedicat nobis, non solùm ubertate temporalium rerum, sed & ostendendo vultum suum in formâ hominis. Atque hæc est illa misericordia, quam ab initio petiit, & in fine ¶. repetit.

¶. 2.

¶. 2. Ut cognoscamus in terra viam tuam,
in omnibus gentibus salutare tuum.

Dat rationem illius ardoris desiderii. Ut in lumine illo divino cognoscamus in hac tenebrosa terrâ viam ad patriam (quae est Christus) à qua tam diu peregrinamur ambulantes in tenebris, & umbrâ mortis : ut cognoscatur inter omnes gentes Salvator tuus. Vide Luc. 3.

¶. 6.

¶. 3. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Quia desiderium Prophetæ juxta veram charitatem ordinatum erat, cupiebat, Christum venire, primò ob gloriam Dei, dein ob bonum hominum. Ideo ait primò : ob hoc tam insigne, & tam universale donum, omnes populi te laudent, tibi gratias agant : cesset cultus idolorum ; tu solus verus Deus ubique honoreris.

¶. 4. Latentur, & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Post laudem Dei , agnoscatur etiam utilitas populorum. Omnes homines gaudeant, quia tu Deus per Christum tuum, ablato jugo tyrannicæ potestatis Principis tenebrarum harum , Regnum justissimum in Ecclesiâ tuâ constituisti , omnes dirigens per saluberrimas leges tuas ad portum salutis æternæ.

¶. 5.

Can-
men
ujus
la-
Aug.
aico
ddi-
Se à
men
erii
ad-
hu-
tæ,
&
no-
mi-
De.
em
Dix
ate
um
se-
¶.

V. 5. *Consiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.*

Idem repetit, additâ novâ ratione : quia jam tandem terra protulit fructum suum, cuius gratiâ facta erat, nempe Christum in carne. Utitur tempore præterito pro futuro, more Prophetarum.

V. 6. *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus ; Et metuant eum omnes fines terræ.*

Ergo deinceps hæc sit grata vicissitudo, ut Deus nos impleat copiâ bonorum omnium, præcipue spiritualium, & cælestium ; & contra omnes homines, usque ad ultimos fines terræ habitantes, Deum verum sanctè timeant, obediendo, & laudando in æternum. Trina illa repetitio nominis Dei & affectum Prophetæ significat, & insinuat mysterium S. S. Trinitatis, quam Christus, & Apostoli palam prædicarunt.

PSALMUS LXVII.

Titus : *In finem Psalmus Cantici ipsi David.*

Argumentum Psalmi alii aliud statuunt : S. S. Hilar. Et Hieron. docent decantari mysteria utriusque Testamenti; quod verissimum videtur, cum